



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii  
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,  
omnibusque conscientiæ nodis**

**Bonacina, Martino**

**Coloniæ Agrippinæ**

Monasterium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41152**



Post Epistolam incipere audire Missam, & statim post communionem egredi, non caret scrupulo p. m. A principio autem usque ad communionem tantum assistere, non erit p. m. Suar. l. c.

3. Excusat Missam non audientem legitimum impedimentum, & quævis rationalis causa; ut si herus impediatur, aut femina prodeundo est alicui peccati occasio; & consuetudo, ut puellarum quæ non solent domo egredi; & custodia domus; & pudor ob vestem non decentem; & Ecclesiæ distantia debilem.

De causis excusantibus vid Azor. l. c. c. 7. Tol. l. c. c. 6. & c.

Monasterium,

Vide v. *Monialis, Religiosus.*

1. Nomine *monasterii*, cujus accessus interdicitur hic, non intelligitur monasterium materialiter sumptum, sed ipse moniales; accipitur enim contentum pro continente: accessus verò ad monasterium est ille actus, quo quis sese transfert aut transferri sinit ad monasterium: unde ille qui domum monasterio contiguam habet, & è fenestra suæ domus monialem alloquitur, non dicitur ad monasterium accedere, cum ibi existat; & accessus indicet motum ad aliquem locum. tom. 1. de Clausura. & pœnis violatoribus ipsius impostis, quæst. 3. punct. 1. num. 1. & seq. Hoc posito dicendum,

2. Omnibus tam laicis, quam clericis & regularibus, (excepte eos qui in dignitate sunt constituti,) interdictum esse jure communi ad monialium monasteria accedere, & à fortiori illa frequentare, id est sapius in mensæ accedere. Non est tamen interdictum universaliter jure communi literas monialibus scribere; & illi, quibus jure speciali interdictum est sub censuris litteras monialibus scribere, non incurrunt censuras, nisi ipsæmet litteræ ad moniales perveniant actu. ibid. punct. 2. num. 1. & seq.

3. Accessus ad monasteria monialium sine licentia & causa, videtur sufficiens ad lethalem culpam, nisi ratione parvitas materiæ, vel alterius circumstantiæ, v. g. necessitatis vel parentelæ, excusetur. Contra laicos sine manifesta & notabili causa frequentantes monasteria monialium fertur excommunicatio comminatoria, quam solo accessu non incurrunt, nisi ab Episcopo moniti ut desistant, nolint ab hujusmodi



modi accessu desistere, id est si post monitionem accedat. Item contra clericum frequentantem monasteria monialium, si ab Episcopo monitus corrigi noluerit, ferenda est pœna suspensionis, imò & excommunicationis & depositionis, si corrigi nolit: Item contra Religiosos accedentes ad monasteria monialium imposita est pœna privationis officiorum, vocis activæ & passivæ ipso facto incurrenda, ut patet ex decreto sacre Congregationis jussu Sixti V. edito anno 1590. quod decretum obligat sub mortali, modo non faciant de licentia Summi Pontificis, vel sacre Congregationis, vel Episcopi. Religiosi (etiam S. Joannis Hieronymitani) tenentur præfatas pœnas subire ante judicis sententiam. Adverte tamen Religiosos exemptos non subjeti censuris latis ab Episcopo contra accedentes ad monasteria monialium absque sua licentia, cum non sint subditi; quare vis hoc tempore Religiosi alloquentes monialem absque licentia puniri possint ab Episcopo ex constitutione Gregorii XV. in Bulla de exemptorum privilegiis *ibid. punct. 3. nu. 1. & punct. 4. nu. 1. & seq.*

4. Laici & clerici à culpa & pœnis jure communi impositis contra frequentantes monasteria monialium, triplici saltem de causa excusari possunt; parvitate materiæ, ut si quis una vel altera vice accedat: legitima consuetudine in contrarium, & licentia Superioris etiam verbali, cum causa rationabili & manifesta, quæ licentia ad accedendum vel ingrediendum absolutè concessa non finitur primo actu. *ibid. punct. 5. nu. 1. & seq.*

5. Sola consanguinitas, per se loquendo, non est justa causa frequentandi monasteria monialium. Levior causa sufficit ad accedendum, quàm ad ingrediendum; cum minus sit accedere, quàm ingredi. *ibid. num. 10. & 11.*

*Ingressus monasterii monialium, quibus personis permissus, & quibus de causis.*

6. Nomine monasterii intelligitur illud spatium quod intra monasterii januam semper clausum continetur, seu est locus in quo siltere debent moniales, & extra quem nequeunt nobrevi quidem spatio egredi. modo tamen ille locus clausuræ deputatus sit. *ibid. quest. 4. punct. 1. n. 1.*

7. Omnibus personis cujuscunque generis aut conditio-